



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Quid sit obseruantia? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

autem quod aliquis habet perfectionem scientiæ, vel virtutis, non sortitur rationem principij quantum ad alios, sed solum quamdam excellentiam in seipso. Et ideo specialiter quædam virtus determinatur ad exhibendum honorem, & cultum his qui sunt in dignitate constituti. Verum quia per scientiam, & virtutem, & omnia alia huiusmodi aliquis idoneus redditur ad dignitatis statum, reuerentia quæ propter quacumque excellentiam aliquibus exhibetur, ad eandem virtutem pertinet.

Ad tertium dicendum, quod ad iustitiam specialem, propriè sumptam, pertinet reddere æquale ei, cui aliquid debetur. Quod quidem non potest fieri ad virtuosos, & ad eos, qui bene statu dignitatis vtuntur, sicut nec ad Deum, nec ad parètes. Et ideo ad quamdam virtutem adiunctam hoc pertinet: non autem ad iustitiam specialem, quæ est principalis virtus. Iustitia verò legalis se extendit ad actus omnium virtutum, vt supra dictum * est.

q. 58. a. 6

ARTIC. II.

Utrum ad obseruantiam pertineat exhibere cultum, & honorem his, qui sunt in dignitate constituti?

540

cap. 1. in me. 20. 5.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod ad obseruantiam non pertineat exhibere cultum, & honorem his qui sunt in dignitate constituti: quia vt Aug. dicit in * 10. de Ciuit. Dei, Colere dicimur illas personas, quas in quodam honore habemus; & sic idè esse videtur cultus, & honor. Inconuenienter ergo determinatur quod obseruantia exhibet in dignitate constitutis cultum, & honorem.

¶ 2 Præterea, Ad iustitiam pertinet reddere debitum: vnde ad obseruantiam, quæ ponitur iustitiæ pars, pertinet. Sed cultum & honorem non debemus omnibus in dignitate constitutis, sed solum his, qui super nos prælationem habent. Ergo inconuenienter determinatur quod eis obseruantia exhibet cultum, & honorem.

¶ 3 Præ-

¶ Præterea, Superioribus nostris in dignitate constitutis non solum debemus honorem, sed etiam timorem, & aliquam munerum largitionem: secundum illud ad Rom. 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vestigal, vestigal: cui timorem timorem: cui honorem, honorem. Debemus etiã eis reuerentiam, & subiectionem: secundum illud Hebræor. 13. Obedite præpositis vestris, & subiaceite eis. Non ergo conuenienter determinatur, quòd obseruantia exhibet cultum, & honorem.

SED contra est, quòd Tullius * dicit, quòd obseruantia est, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, quodam cultu & honore dignantur.

lib. 2. de inuentione in sol. 4. ante fi. lib.

RESPONDEO dicendum, quòd ad eos qui sunt in dignitate constituti, pertinet gubernare subditos. Gubernare autem est mouere aliquos in debitum finem: sicut nauta gubernat nauem, ducendo eam ad portum. Omne autem mouens habet excellentiam, quamdam, & virtutem supra id quod mouetur. Vnde oportet quòd in eo qui est in dignitate constitutus, primò consideretur excellentia status cum quadam potestate in subditos. Secundò, ipsum gubernationis officium. Ratione igitur excellentiæ debetur ei honor, qui est quædam recognitio excellentiæ alicuius. Ratione autem officij gubernationis debetur ei cultus, qui in quodam obsequio consistit: dum scilicet aliquis eorum obedit imperio, & vicem beneficijs eorum pro suo modo rependit.

Ad primum ergo dicendum, quòd in cultu non solum intelligitur honor, sed etiam quæcumque alia, quæ pertinent ad decentes actus, quibus homo ad alium ordinatur.

Ad secundum dicendum, quòd sicut supra dictum est *, duplex est debitum. Vnum quidem legale, ad quod reddendum homo lege compellitur. Et sic debet homo honorem, & cultum his qui sunt in dignitate constituti, prælationem super ipsum habentes. Aliud autem est debitum morale, quod ex quadam

q 80. per 101.

hone-

honestate debetur. Et hoc modo debemus cultum, & honorem his qui sunt in dignitate constituti, etiam si non simus eis subiecti.

Ad tertium dicendum, quod excellentiæ eorum qui sunt in dignitate constituti, debetur honor, ratione sublimioris gradus: timor autem ratione potestatis, quam habent ad coercendum. Officio verò gubernationis ipsorum debetur obedientia, per quam subditi mouentur ad imperium præsentium: & tributa, quæ sunt quædam stipendia laboris ipsorum.

ARTIC. III.

¶ *Vtrum obseruantia sit potior virtus quàm pietas?*

¶ **A**d tertium sic proceditur. Videtur, quod obseruantia sit potior virtus, quàm pietas. Princeps enim cui cultus per obseruantiam exhibetur, comparatur ad patrem qui pietate colitur, sicut vniuersalis gubernator ad particularem. Nam familia quam pater gubernat, est pars ciuitatis, quæ gubernatur à principe. Sed vniuersalis virtus potior est, & magis ei inferiora subduntur. Ergo obseruantia est potior virtus, quàm pietas.

¶ **2** Præterea, illi qui sunt in dignitate constituti curam gerunt boni communis. Consanguinei autem pertinent ad bonum priuatum, quod est propter bonum commune contemnendum. Unde laudabiliter aliqui pro bono communi, periculis mortis seipsum exponunt. Ergo obseruantia, per quam exhibetur cultus his qui sunt in dignitate constituti, est potior virtus, quàm pietas, quæ exhibet cultum personis sanguine iunctis.

¶ **3** Præter. Honor & reuerentia maximè debetur virtuosus post Deum. Sed virtuosus exhibetur honor, & reuerentia per obseruantiam virtutem, ut dictum est. Ergo obseruantia est præcipua post religionem.

SED contra est, quod præcepta legis dantur de actibus virtutum. Immediatè autem post præcepta religionis, quæ pertinent ad primam tabulam, subditur præceptum de honoratione parentum, quod pertinet ad

art. 1. ad
2.